



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

LXXIII. Differentia 6. Iure Canonico prædicatores, & confessores possunt  
recipere eleëmosynas ab Vsurariis & raptoribus alienarum rerum, quasi  
procuratores illorum, quorum res extortæ sunt,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

## DIFFERENTIA 6.

Iure Canonico predicatoribus, & confessoribus possunt recipere eleemosynas ab usurariis & raptoribus alienarum rerum, quasi procuratores illorum, quorum res extortae sunt, c. Cum voluntate § 4. de lent. excomm. Iure civili autem non possunt auctoritate sua recipere, sed manibus dominorum: l. Extrat.

ff. Quod metus causa: nec possunt habere contra prohibitionem dominorum, quod Iure Canonico conceditur. Bart. 31. Ioann.

Bapt. à S. Blasio 81.

I. Gregorii noni est, quod ex c. Cum voluntate, allegatur. Predicatores, qui penes excommunicatos, vel alienarum rerum detentores in praedicationibus, & confessionibus quasi gerunt causam, aut curam eorum, ad quos res ipsa spectare noscuntur, eleemosynas licite possunt ab illis recipere, praesertim si alias non valeant in illo loco sustentationem habere. Rationem gloss. addit, quia predicatoribus, & confessoribus sunt quasi negotiorum gestores constituti à dominis, quibus ablata bona sunt: ac proinde accipere eleemosynas possunt. Nam ipsi, quorum res agitur, recipere, quae sua sunt, possunt. Et quamvis non habeat effectum res, sufficit, quod ab initio sit utiliter coeptum, l. Sed in ultro, ff. de neg. gest. & negotiorum gestor propterea potest ad sumptus agere, quos fecerit.

II. Quod autem in l. Extrat, ff. Quod met. caus. Bartol. praescribi existimat, jam dictis nihil officere potest, quia alieni fori est. Quanquam ab Ecclesiae sensu nihil alienum, aut diversum putem

constituisse. Ecclesiae enim dispositio, vel, si mavis, permissio praesumptio communi nititur, fundata tum in rationabili dominorum voluntate, quam in talibus circumstantiis convenit habere pios Christianos, tum in fidelitate, & charitate Sacerdotum, qui divini verbi, & confessionum audiendarum munere funguntur, sequae profitentur aliorum salutari procurandae incumbere, ac sollicitos esse, ne cui injuria per alienarum rerum detentionem inferatur. At leges, inquis, prohibent, contra dominorum voluntatem disponere de bonis alienis. R. In talibus circumstantiis, ubi periculum amissionis est, non censetur iniuria esse domini, sed potius cupere, & consentire, ut in usus pios impendantur, & quod ipsis hic, & nunc impossibile est exequi, aliorum studio, & diligentia compensari. Idem ferè iudicium

est, de bonis ecclesiasticis, quae ab haereticis iniuste detinentur. V. Lef., c. 21. Dub. 17.